

XII. Alberti Haller, *Archiatri et Consil. Aul. Reg. in Acad. Gottingenf. Medicinæ Prof. necnon R. S. Lond. Sodalis, Observationes de Viis Seminis.*

Read Feb. 15. 1749-50. **C**UM in testium vesicularum fabrica aliqua mihi contigerit invenisse, quæ non inutilia videantur, ea Vobis, Sodales Illustres, considerata propono, quorum antecessoribus pene ante centum annos *Claudius Uberius* aprugni testis fabricam dicavit *Phil. Transf.* n. 42.

Testium quidem filamentosa fabrica ex flavescens vasculis compacta, passim nota est. Ea vero vasa quæ semen confectum in iis vasculis exportant, et ad epididymidem convehunt, ea quidem semper dubia fuerunt.

Solus hæctenus *Regnerus de Graaf* ad veritatem cominus accessit; recentiores scriptores infra ejus inventa substituerunt.

Repletur ergo epididymis per ductum deferentem, lente et prudenter, argento vivo, subsistendo subinde, aut in calidam mergendo testem, ut sensim vasa expansa cedant; nam subita repletio facillime mediam aut summam epididymida rumpit.

Ita mihi duodecies aut ultra adparuit, epididymidem quidem per totam longitudinem suam, qua testi adhæret, capite excepto, unicum subtilem canalem esse, qui explicari queat, et ex plicis per cellulofam revinctis resolvi. Recte hoc vidit, quem laudavi *Graafius de part. genit. vir.* p. 65. T. I. f. 2.

In suprema parte epididymidis, quam caput vocavit, (TAB. II. Fig. I. d) et quæ validius albugineænectitur, fabrica

fabrica alia est: Ibi enim unicus iste canalis finditur in decem, duodecim, forte plures canales, qui nonnunquam valde subtiles, alias autem ipso ductu, qui epididymidem complicatus fuit, multo crassiores sunt. Hos canales vocabimus, brevitatis causa, *Vasa efferentia semen* (F. I. eeeee).

Singulum plicatum et in conum congestum proprium fasciculum efficit, et retrogrado ductu versus inferiorem partem testis redit, intraque albugineum in testis partem venit, quæ media est inter summam partem imamque, qua etiam parte epididymis ab altero latere libera, ab altera unice adhæret. Hæc vasa conosque satis recte repræsentavit idem *R. de Graaf*, T. 3. f. 3. T. II. f. 1. In icone nostra diducta exprimuntur (F. I. f f). Ea vasa sensim in testis superficie, quæ albugineæ continua est, exporriguntur, et sibi parallela et conjuncta *rete* efficiunt. (F. I. gg)

Ex ea conjunctione fit, ut non raro uno vel duobus tantum vasculis efferentibus ab epididymide repletis omnia turgeant, et argentum vivum manifeste per ea vasa, quæ argentum receperunt, retrogrado metallo etiam in ea parte, quæ testis proprius est, repleantur. Hoc rete ea fere longitudine est partis semi-liberæ ductus epididymidis. Solus eam vidit *Graafius* et depinxit T. 4. f. 4. ut tamen parallela nimis vascula, neque mediis ramis conjuncta, aut pingat aut describat. Nimis etiam longa et paria fere testis fecit. Reliqui Anatomici omnes aut pro ductu unico, aut pro cæca membrana habuerunt.

Ab eo rete in testis carnem musculosam cum singulo celluloso septo, singulum vasculum venit, et ad eam testis divisi provinciam descendit. Hæc vascula absque plicis sunt ampliora multo quam crederes, et

quàm epididymidis, magis vasculum tenera, ut a pondere argenti vivi facile rumpantur. A rectitudine *recta vascula testis* voco.

Hæc recta vascula inferta sibi recipiunt *vascula testis serpentina* flavescencia, quæ adeo pulchre in capillos resolvebat *Ruyschius*. Aliquoties contigit, ut fluidum metallum etiam hæc tenerrima vascula subiverit, ut omnino cavos canales esse minime dubitari possit.

Ea est adeo testis fabrica, ut in *serpentinis vasculis* semen flavescens generetur, id deponatur in vasa *recta*, inde in *rete* sub albuginea positum, tunc per *vascula efferentia* tortuosa in epididymidem veniat.

Ex epididymide duplex via est seminis, altera recondita, de qua nunc dicendi locus est, altera vulgo nota ad vesiculas.

Illam argento vivo immisso nunc ter omnino detexi.

Vasculum unicum, nec enim plura vidi, de media epididymide decedit, in rectitudinem exporrigitur, una cum vasis testis ascendit, nunquam ad finem usque a me deductum, sed proculdubio ad lymphatica vasa pertinens, quæ sæpe in funiculo vasorum spermaticorum humano vidi. Hæc sunt vascula minima in abdomine, quæ per vas deferens replebat in lepore, *Ruyschius Catal. Mus.* p. 152. Nam etsi unicum hæctenus vidi, minime repugno plura esse. Resorbendo humori, adeoque crassiori reddendo semini, destinari valde probabile fit.

Altera via manifesta est, qua ad vesiculas feminales semen ducitur; in ea Mercurius injectus aliqua etiam nobis patefecit.

Non quidem valde urgebo ductum deferentem recta in urethram continuari, huic ad angulum valde acutum

acutum inferi ductum excretorium vesiculæ seminalis, qui ductu urethrico minor est (Fig. 2. *o p*); et tamen liquores injectos in ductu deferente facile in vesiculam subire. Hæc enim vulgo nota sunt.

Neque monebo fuscæ ex ductu deferente, cujus pars, quæ vesicæ subjicitur, in cellulas plicatur, argentum vivum in urethram facile delabi, quod non ita de semine observatur unquam, ut in vivo homine potentiam aliquam esse necesse sit, quæ extra tempora venerei cœstri coerceat semen, neque sinat in urethram sani hominis venire, quin prius in vesiculam adscenderit. Ea potentia potest in ipsa densitate comprimentis prostatae poni, vel in alia causa, nobis ignota.

Sed id imprimis volo, vesiculam feminalem quamlibet unicum esse intestinulum, cui multæ cæcæ appendices inserantur. Id adparet, quando Mercurio vel cera repleta vesicula resolvitur, dissecatis patienter telis cellulosis, quæ et princeps intestinulum, et cæcas appendices religant. Sæpe præparavi, multum inveni in appendicibus diversitatis, in longitudine, simplicitate, directione, diametro. Hæc tamen communia sunt. Intestinulum princeps vesiculæ (*ll*) in crassum obtusum cæcum conum terminatur. In hoc intestinulum octo, decemve inseruntur appendices (*mm nn*), quarum primæ solent ramosæ esse (ut *mn*), non tamen constanter; ultimæ potius simplices sunt (ut *mm*). Aliquid simile et *Leal. Lealis* vidit, et *Henricus Bassius, Observ. Anat. Chir. Dec. I. n. V. T. 2. ff*; sed ille nimis breves appendiculas fecit, tum iste, anulumque is præterea addidit, quem certo novi plicam esse, non verum circulum. Unice addo, adeo magnas et compositas appendices me vidisse, ut quæ truncus sit, quæ appendix, non facile definire.

## ICONUM EXPLICATIO.

## T A B. II.

FIG. I. *Testis Mercurio repletus.*

- a* Ductus deferens, sensim complicatis vasis.  
*b* Pars ima, ubi contra seipsum ascendere incipit cum epididymidis nomine.  
*c* Epididymis tota repleta ex serpentino vasculo composita.  
*d* Caput epididymidis dissolutum.  
*e e e e e* Totidem conii vasculosi, in quos caput epididymidis resolvitur.  
*f f* Vascula efferentia semen ex conis orta, pauca notavi literis, ne iconem corrumperem.  
*g g* Rete testis.  
*h h* Aliquot ductus rectilinei. Reliqui globuli dissoluti sunt ab argento vivo, per rupta aliqua vascula effuso, quos volui expressos, ne quidquam veritati iconis decederet.  
*i* Caro testis nuda.

FIG. 2.

- a a* Vesica urinaria.  
*b* Fibrarum longitudinalium planum posterius.  
*c* Prostata.  
*d d* Ureteres.  
*e* Arteriæ vesicularum.  
*f g* Ductus deferentes in celluloso sine suo.  
*h* Vesicula seminalis dextra, non mutata.  
*i* Ductus seminifer, qui prostatam perforat.  
*l* Vesicula seminalis sinistra cera repleta et expedita. Dissolutis corniculis hinc multo longior.

*m m* Cæcæ appendices vesiculæ, quæ in hoc cada-  
vere breves fuerunt.

*n n* Appendices aliquæ ramosæ.

*o* Ductus feminifer per prostaticam euns.

*p* Ductus vesiculæ excretorius ipsi insertus.

XIII. *A Letter from John Martyn, M. D.*  
Prof. Botan. Cantab. & F.R.S. *to the Presi-*  
*dent, concerning an Aurora Borealis seen*  
February 16. 1749-50.

S I R,

Chelsey, Feb. 21. 1749-50.


Read Feb. 22.  
1749-50.

ON Friday the 16th there was a bright  
*Aurora Borealis*, the Northern Part  
of the Sky being intirely filled with a pale Light, in  
which frequent Coruscations were visible. Besides  
these Lights, there was a perfect uniform Arch, ex-  
tending from East to West: the Colour of it was the  
same with that of the *Aurora*; with which however  
it did not seem to have any Communication, being  
placed several Degrees to the Southward. The Shoul-  
ders of *Orion* were visible thro' this luminous Arch,  
in the Western Part of it, and *Cor Leonis* in the  
Eastern Part. I did not happen to see it till about  
a Quarter before Ten; and at Ten it disappeared.  
The Weather was then, and has been ever since, ex-  
ceedingly warm for the Season. The Walls are  
covered with Blossoms; and the Hyacinths, Daffodils,  
&c. are blown before the usual time. I am, with  
the greatest Respect,


S I R,

Your most humble Servant,

JOHN MARTYN.



*Fig. 2. p. 343.  
344.*



*Fig. 1. p. 341. 344.*

*J. Mynde sc.*